



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XI. De Ius, quæ fiunt à majori parte Capituli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

State, non tamen necessariò sequi tenetur, Glossa in c. *Cum consuetudinis V. Consensu*, de *Consuet.* Panormit. in c. *Quanto cit. n. 7.* & uterque Gonzalez, Hieronymus quidem in *Reg. 8. gloss. 46. n. 61.* Emanuel autem in c. *Cum in veteri 52. de Elect. n. 8.* propter textus c. *cit. c. Cum olim 7. de Arbitr. & c. 1. de Capell. Monach.* ex quorum decisione Prior in Ecclesiæ Reſtoris electione familiaris: & Episcopus in capellani institutione monachorum consilium habere tenetur: quò tamen habitò iste capellanum, & ille præsertim rectorem instituere liberè potest.

28. Neque sic Capituli Consilium frustra exigitur; quia hoc præcisè adhibere justus, licet sequi non teneatur, consulentium tamen rationibus instruitur & ad negotium cautius, utilius & cum majori efficacia suscipiendum, geren-

dumque moveri potest; cum dubium non sit, ea quæ consilio geruntur, effectui & firmitate niti, l. *Dubium 3. C. de Repud.* & ex Regum Sapientissimi sententia, *Multa salus sit, ubi multa consilia*, Proverb. cap. 11. v. 14. & propterea providentissimi quique alienò consilio uti soleant, præsertim in rebus arduis exemplò summi Ecclesiæ antistitis, ejusmodi res & negotia cum *Fratrum suorum*, Cardinalium, Consilio pertractatis, c. *Ad Apostolica 2. de Senr. & re jud. in 6. & Clement. unica §. Nos etiam, V. Cæterum, de Jurejurando*: licet, quod isti suaserint, tanquam suprema in terris & humanà lege quæcunque superior potestas, amplecti & sequi non teneatur, Menoch. de *Presumpt. Lib. 6. pres. 34. n. 24.* & Gonzalez *Gloss. cit. n. 62.*



## TITVLVS XI.

De iis, quæ fiunt à Majori parte Capituli.

### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Capitulum est Collegium Clericorum vel Religiosorum, | 6. Quò casu 24. annis inchoata sufficere, aliqui existimant: |
| 2. Cum Prelato constitutum unum Corpus,                 | 7. Alii & melius completum exigunt.                          |
| 3. Et in sacris constitutorum:                          | 8. Regulariter etiam, cum agitur de favore:                  |
| 4. Nisi aliud sit de jure speciali,                     | 9. Licet hoc casu sufficiat ultima anni dies inchoata.       |
| 5. Exigente v.g. ut quis 24. annis non sit minor:       | 10. Religiones aliqua solos aut certos tantum Sacerdotes:    |
|   | 11. Alia Professores omnes ad Capitulum mittunt.             |

12. Ad actus Capitulares omnes in loco presentes :
13. Nonnullis casibus etiam absentes sunt vocandi.
14. Jure infirma sunt, quæ aliquibus :
15. Irrita, quæ plus quam tertiâ parte non vocatâ geruntur.
16. Cui Juri statutò Ecclesia nequit derogari.
17. Actus Capitularis consensum majoris & sanioris :
18. Aliquando omnium, vel duarum partium :
19. Aliquando plus quam tertiâ parte, requirit.
20. Major est, quæ medietatem saltem unò,
21. Imò dimidiò tantum votò excedit :
22. Communeratis tamen iis, qui per contemptum absunt.
23. Nisi Consuetudine aliud sit receptum.
24. Senior est, quæ excedit auctoritate, integritate &c.
25. Pars major in dubio etiam sanior censetur,
26. Præsertim in electionibus Regularium.
27. Pars sanior à majori decreta impedire : sola nihil decernere potest.
28. Pars major in prejudicium minoris :
29. Non tamen ad opus extraneum,
30. Vel de bonis singulorum patrimonialibus aliquid statuere valet.

tur congregata universitas sive collegium clericorum : non quidem omnium, qui in Ecclesia sunt, sed eorum duntaxat, quorum Prælatus caput, ipsi verò sunt membra, c. *Novit 4. de iis, quæ à Prælato*. ita, ut cum illo constituent unum Corpus, Franc. de Pavinis *de Offic. & potest. Capit. sede vac. Prælud. 5. n. 2.*

Quare, licet nomine Capituli v.g. Cathedralis Ecclesiæ non veniat Prælatus sive Episcopus, arg. c. *Novit cit.* cum eum hoc ipso ; quod tanquam caput cum Capitulo tanquam membris unum corpus, scilicet Ecclesiam, constituat, à Capitulo distingui necesse sit, & clarè distinguatur in Rubrica, *De iis, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli* : neque capellani & similes clerici, qui portiones in ea obtinent ; quia non sunt de Ecclesiæ Collegio, istiusque communibus negotiis non interfunt : eò tamen nomine præter Canonicos comprehenditur Decanus ; cum sit Capituli præcipua pars ; ac proinde id ipse quoque constituat c. *Post electionem 7.* junctâ Gloisâ *V. Nulatenus, de Concess. præb.* & cæteros canonicos convocet in locum Capituli, istius communia negotia cum iis pertractet, & habeat commune cum ipsis sigillum, communem arcam & actorem seu syndicum : quæ signa & substantialia Capituli seu collegii sunt, Pavinus *Prælud. cit. n. 1. Farinac. Prax. Criminal. q. 113. n. 227.* & Gonzalez *in c. 1. hic n. 4.*

Licet autem antiquiori Jure Capitulum constituerint, sive vocem & suffragium in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis earum Canonicis, & in Monasteriis Religiosorum professi omnes habuerint, *can. fin. 16. q. 7. can. Abbatem 3. Sc. 18. q. 2. & c. 1. de Elect.* Recentiori tamen seu modernò & communi Jure vox Activa, sive suffragii in Capitulo ferendi jus illis duntaxat canonicis &

**A** Prælatis redimus ad Acta, & præsertim consensum Capitularem : quò illis ad immobilium & pretiosarum rerum alienationem & alia gravioris momenti negotia ritè gerenda opus esse, statuimus ad Rubricam præcedentem.  
 2. Nominè autem Capituli intelligi-

nici, & professis competit, qui in sacris five Majoribus Ordinibus saltem Subdiaconatus sunt constituti, juxta *Clement. 2. de Aet. & qualit. & decretum S. Synodi Trident. Sess. 22. cap. 4. de Reformat.* Minoribus Ordinibus aut primâ solum Tonfurâ initiatis clericis, tam Secularibus quàm Regularibus, vocem in Capitulo adimentis; ut ita, qui Divinis officiis in ejusmodi Ecclesiis obeundis mancipati sunt, ad sacros Ordines recipiendos excitarentur, Vivianus in *Clement. cit.*

4. Excipiendi tamen sunt canonici & alii clerici, qui suffragii jus non ratione canonice, c. *Pro illorum 22. de Præb. & dignit.* sed aliò jure v.g. ex privilegio vel fundatione obtinent; quantumvis Subdiaconi non sint, *Garcias de Benef. p. 3. addit. ad cap. 4. n. 31. & aliis relatis Barbosa in cit. cap. 4. n. 3.*

Dixi etiam, *Communi*; quia speciali jure, v.g. statuto vel consuetudine Capitulari in quibusdam Ecclesiis canonici, etiam constituti in sacris, ad Capitulum ante certos annos à nativitate vel apprehensa Canonice possessione, vel Ordine sacro suscepto non admittuntur.

5. Cujusmodi Capitularis statuti, in canonico ad Capitulum admittendo exigentis, *Ut sit ætatis viginti quatuor annorum*, occasione

Dubium & quæstio mota est, an ad Capitulum admissionem petere jure valeat Titius, qui ætatis vigesimum tertium annum & novem menses primum implevit.

Qua in re præ oculis habenda est statuti observantia Capitularis; ut, sicut in hujusmodi casibus aliis ultimus annus inchoatus habitus pro completo, vel ad diem ultimum complendus antè fuit, sic id nunc quoque observetur; quòd Capitularis statuti optimus inter-

pres sit usus, c. *Cum dilectus 8. de Consuetudo*, præsertim ipsius Capituli, cum; quia sic, unde Jus, inde etiam interpretatio procedit, juxta §. *Ex his poll. can. Sicut 11. q. 1. & c. Inter alias 31. de Sent. excom.* tum verò; quia Capituli usus seu consuetudo statutorum non solum interpretari, si dubium sit: sed ei etiam, si clarum sit, derogare valet, *arg. c. fin. de Consuet. & l. De quibus 32. ff. de LL.*

Secus à speciali observantia Capituli, à Titio, ætatis 23. annum & mensem nonum primum egresso, ad Capitulum admissionem peti jure posse, ratio tergemina suadet

Prima est; quòd Titius in canonicatus jurisque huic accessorium præbendam aliisque jura Capitularia consequendi, quasi possessione, post ad Capitulum jam admissos, primus & antiquissimus sit: in dubio autem, sicut possessoris quàm petitoris, sic etiam antiquioris possessoris conditio potior sit, quàm junioris seu recentioris, c. *Licet 9. de Probat. ubi Panormit. n. 35. & Felinus n. 8.*

Secunda; quia, an annus vigesimus quartus inchoatus sufficiat vel completus exigatur, dubium est spectato statuto; cum istò annis, in admittendo ad Capitulum requisitis, non adjiciatur verbum, exprimens annum completum, sicut adjicitur trigésimo, in eligendo in Episcopum vel Abbatissam, c. *Cum in cunctis 7. pr. de Elect. & c. Indemnitate 43. pr. eadem Rubr. in 6. decimo sexto, in emissuro professionem Religiosam, Trident. Sess. 25. cap. 15. de Regular. vigésimo, in impetraturo veniam ætatis requisito, l. Omnes 2. C. de His qui ven. atar. &c. neque etiam verbum denotans annum inchoatum, sicut adjectum est vigésimo quinto, in promo-*

vendis

Vendis ad dignitates & beneficia curata, e. *Cum in cunctis cit. §. Inferiora* vel ad sacrum Ordinem presbyteratus, *Clement. fin. junctâ Glossâ V. In decimo octavo, de Etat. & qualis.* certis annis, in admittendo ad munera & honores requisitis *l. Ad Republicam 8. V. Annu ff. de Muner. & honor. Et.* In dubio autem, quodcumque certa ætas ad aliquod munus vel exercitium præscriptus est, sufficit ultimum annum esse inchoatum; ut annus inchoatus in omni materia pro completo habeatur: quod Regulæ insular, aliis DD. allegatis, tradunt Cævall. *Commun. Opin. cap. 523. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 16. n. 1. ad finem.* Cui Regulæ vel maximè locus est, quando, ut in proposito casu, agitur de muneribus & honoribus, *V. Annu cit. & de favore eorum, quibus certi anni præscribuntur, ut arg. V. cit. & l. Si filium 78 §. 1. ff. ad S.C. Trebell.* tradunt *Surdus decif. 178. Fenu. de Moment. temp. cap. ult. in fine & Antonell. Lib. 4. de Temp. legali cap. 1. n. 19.*

Tertia; quia, ut admittendus ad Capitulum sit ætatis 24. annorum, statutò Capitulari requiritur ultra Jus commune; cum istò in admittendo ad Capitulum non exigatur ætas major, quam exposcit Ordo subdiaconatus, Glossa in *Clement. Ut ii 2. V. Constitutus, de Etat. & qualis.* ad quem Ordinem antiquò decimus octavus, *Clement. fin. Rubr. cit.* modernò autem Jure vigesimus secundus annus inchoatus sufficit, Trident. *Sess. 23. cap. 12. de Ref.* statuta autem à communi Jure deviantia in dubio sic accipienda sunt; ut à communi Jure minimùm recedant, *arg. e. Cum expediat 29 de Elect. in 6. Et. Præcipimus 32. in fine C. de Appellat.* quod fit, si in admittendo ad Capitulum annus vigesimus quartus inchoatus sufficit; cum sic à communi

Jure minùs recedatur, quam si annus ille completus exigatur; quia, si annus ille completus exigatur, à communi Jure non solum quoad annos, sed etiam quoad istorum impletionem receditur.

Sed rationes istæ, Titii petitionem Juri consentaneam, non persuadent; quòd verba statuti, canonicum ad Capitulum non admittentis, *Nisi sit ætatis 24. annorum,* de Titio non verificentur. Ratio est; quia ad verba illa verificanda necessarium de Jure est; ut ejus ætatis ultimum sive vigesimum quartum annum usque ad ultimum diem Titius impleverit; cum enim annus de Jure constet 365. diebus, *l. Ita vulneratus 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. Et l. Si cum hæres 4. §. 5. ff. de Statu liber.* sicut anniculus, sive ætatis unius anni non est, qui ad 365. dierum ultimum non pervenit, *l. Anniculus 132. Et 134. ff. de V. S.* sic etiam ætatis sedecim, *l. Non putabam 48. ff. de Condit. Et demonstr. & legitimæ ac perfectæ ætatis, sive viginti quinque annorum non est, qui ad postremi anni diem ultimum non pervenit, l. Denique 3. §. 3. ff. de Minoribus, Et l. Ex his 5. C. Quando dies legati ced.* sic etiam, quam Capitularis statuti verba exposcunt, *Ætatis 24. annorum non est, qui vigesimi quarti anni diem ultimum non attingit, per expressum textum l. Si cui 49. ff. de Legat. 1. cujus principiò relatum Ulpiani ICTI, responsum est, Si cui legetur, cum 14. annorum erit, certò jure utimur, ut tunc sit 14. annorum, cum impleverit.* Cui legali dispositioni consonat Juris Canonici Glossa à DD. recepta in *Clement. fin. de Etat. & qualis. V. In decimo octavo,* ubi, dum ad Subdiaconatus sacrum Ordinem sufficere, ait, decimum octavum annum inchoatum; quia *Litera, sive Clement. cit. textus, non requirit, quòd sit 18. annorum,* aperte insinuat his verbis signi-

bis significari octodecim annos completos, ut in *Clement. cit.* notant Panorm. n. 6. Barbofa n. 8. & Covarruv. de *Sponsal.* p. 1. cap. 2. n. 2.

8. Atque hæc regulariter etiam procedunt, cum agitur de favore, v.g. cum certam ætatem habenti relinquatur legatum aut fideicommissum, l. *Si cui cit. pr. l. Non putabam* & l. *Ex his cit.* & cum agitur de honore Ecclesiastico obtinendo, *can. Subdiaconatus* 4. junctâ *Glosâ V. Non minor, dist. 77.* Ratio omnium est; quia, sicut annus unus, sic etiam 24. anni in rerum natura non sunt: nisi, sicut unus, sic etiam vigesimus quartus annus ultimæ diei occalu vel saltem ortu completus sit & perfectus: eaque de causa, in termino plurium annorum ultimum annum solummodo inchoatum pro completo haberi, merito negant *Surdus decis. 178. n. 12.* & *Flamin. Lib. 12. de Resignat. q. 8. n. 27.* præsertim, si legalis aliæve dispositio, sicut propositum statutum Capitulare, annum exprimat per casum genitivum & numerum pluralem; tunc enim annum completum & ultimæ diei adventu perfectum exposcit, per text. & *Gloss. can. Subdiaconus* & l. *si cui cit.* *Bartol. in l. si cui cit. n. 1.* *Bald. ibid. not. 2.* *Jafon. n. 1.* & aliis DD. relatis *Steph. Gratian. Discept. forens. cap. 161. n. 28.* & *Antonellus cit. cap. 1. n. 15.*

Rationi huic non parum roboris addit paritas cum assumendis ad dignitates vel personatus non curatos: in quibus 22. annos completos exigi, *Mandofii Tract. de Etat. minor. cap. 5. n. 10.* *Garcia p. 7. de Benef. cap. 4. n. 67.* *Lessii Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 108.* & aliorum DD. communis sensus, & à S. Congreg. Cardd. Trident. Interpp. pluries declaratum est; quod S. Synodus Tridentina ad illos assumendos, dicat, *Cleri-*

*cos 22. annis non minores;* *Seff. 24. cap. 12. §. Ad cæteras de Ref.* Unde sic arguere licet, *Non esse minorum 22. aut 24. annis;* & *Esse etatis 22. aut 24. annorum,* sunt duæ phrasæ ejusdem significationis. Ergo sicut, ut quis 22. aut 24. annis non sit minor, sic etiam ut sit etatis 22. aut 24. annorum, desiderantur 22. & 24. anni completi.

Quare, Capitularis statuti specialis observantiâ seclusâ, & communi Jure spectatò, ad Capitulum admissio Jure peti à Titio non potest; eique pro illa agenti efficax patrocinium non præstant in eam rem deductæ rationes.

Prima; quia ratione prius apprehensæ possessionis canonicatûs ad Capitulum admissionem ante alios, de canonicatu postea provisos, petendi Jure Titius non habuit absolutum, sed conditionatum duntaxat, *Si petitionis tempore constitutus sit in Ordine sacro,* & *si sit etatis 24. annorum;* quarum conditionum prior communi, *Clement. Ut in 2. de Etat. & qualit.* & Trident. *Seff. 22. cap. 4. de Reformat.* posterior specialis Jure statuti Capitularis requiritur. Unde, quòd istarum conditionum posterior ob trium mensium defectum impleta necdum sit, sed adhuc pendeat, pro ejus defectûs durantis tempore admissionem ad Capitulum petere Jure non potest; cum pendente conditione pendeat & conditionatum, quod in conditionis eventum est relatum, l. *Si quis sub conditione 8. cum l. seq. ff. Si quis emissæ causa* & l. *Cedere 213. ff. de V. S.*

Altera, partim; quia Regula, annum inchoatum pro completo habens, nec Juridica, nec Magistralis est; cum enim Jura annum multò pluribus casibus completum exposcant, quàm admittant inchoatum, illa ad veræ Regulæ vim non accedit: nisi referatur ad ultimum anni diem,

diem, quem in favorabilibus regulariter pro completo habent Bartol. in l. Si cui cit. n. 2. Duarenus in l. cit. §. Dixi, cit. Gratian. n. 27 & Antonell. n. 2. partim verò; quia Regula illa ab ipsis ejus Aſſertoribus assignata est pro casibus dubiis: propositum autem statutum dubium non est; quòd verbis, *Nisi sit ætatis 24. annorum*, annos usque ad diem ultimum completos denotari, planè liqueat ex l. Si cui cit. pr. can. *Subdiaconus cit.* junctâ Glossâ *V. Non minor*, Glossâ in *Clement. sin. cit. V. In decimo octavo*, & ex ratione, in eam rem deducta.

Postrema; quia verborum, *Nisi sit ætatis 24. annorum*, vis Jure satis explorata est; ut aliunde quàm à consuetudine sive usu capitulari, statuto derogandi vim obtinente, petita interpretationi locus non sit; juxta dicta ad *Rub. de Constit. n. 120.*

10. Sicut in Ecclesiis Secularibus, sic etiam in aliquibus Religiosorum familiis speciali jure Capituli nomine soli & illi tantum Patres seu Sacerdotes veniunt, ad quos, juxta earum Statuta à sede Apostolica approbata, negotiis collegialiter gerendis interesse pertinet. Donatus *Tom. 2. Prax. Regul. p. 1. traſt. 2. q. 8.* Imò in Societate JESU tractatus & deliberationes de rerum alienatione aliisque contractibus aut negotiis, à superioribus Localibus, non cum capitulo seu conventu sed solis PP. Consultoribus, suffragium non Decisivum, sed Consultivum duntaxat habentibus, instituuntur, secundum Constitut. p. 4. cap. 17. §. 1. & 16. junctâ *declarat. lit. H.* & Bullas Gregorii XIII. quæ incipiunt *Decret Romanum 3.* Maji 1576. & *Apostolica 18.* Decemb. 1576.

11. editas. Contrà in quibusdam Religionibus, quoties magni momenti negotia tractanda sunt, ex specialibus & ab ipsis Ordinum Fundatoribus conditis, atque à sede Apostolica confirmatis statutis convo-

candi sunt Professi etiam juniores, teste Engel *ad hanc Rubr. n. 7.*

Neque hujusmodi statutis adversatur; quòd cit. & à Trident. cap. 4. cit. confirmatâ *Clementinâ*, Subdiaconatum non habentibus Vox in capitulo generaliter adimatur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus & statutis; partim, quia, tam Clemens V. quàm memoratæ S. Synodi Patres id faciendò, ab ipsis Fundatoribus condita & à sede Apostolica approbata, perpetuòque usu recepta Religiosorum Ordinum statuta probabiliùs non immutârunt: quod S. Congreg. Cardd. Concilii Interpp. declaratione 1573. editâ firmant Azor apud Zypeum *Analys. Juris Pontif. hac Rubr. n. 2.* Portel *Dub. Regul. V. Electio n. 5.* & Donatus *cit. Traſt. 4. q. 6. n. 9.* partim verò quia, tam Papalis, quam Conciliaris dispositionis clausula intelligi potest de Ecclesiis Regularibus, in quibus à Fundatoribus nihil constitutum aut perpetua & immemoriali consuetudine est receptum. Ex dictis

Dubium nascitur, an ad actus Capitulares v.g. ad tractatum de rei immobilis alienatione convocari & convenire debeant omnes capitulares. Requiritur & ordinariè sufficere, si ad eos vocentur omnes, qui in loco præsentibus aut non procul absentes sunt, patet ex *can. Hoc jus privilegium 10. q. 2.* & præsertim ejus, Verbis, *Majore parte ibidem servientium consentiente.* Ratio prioris est; quòd in actibus Capitularibus suffragii jus competit omnibus capitularibus: cujus proinde usu & exercitiò privari sine justa causa ipsorum nemo debet: partim verò; quòd de alienatione tractandi eamque consensu suo approbandi jus capitularibus competit communiter, *arg. can. sine exceptione 12. q. 2.* quando autem de aliqua re tractandi jus pluribus communiter competit, ea

Aa 3 tit, ea

tit, ea communibus suffragiis, & omnibus, quorum interest presentibus, aut saltem vocatis, est pertractanda, *l. De unoqueq; 47. ff. de Re judic. Tholof. Tract. 3. de Elect. cap. 17. n. 4.* Posterioris autem; quod ad tractatus aliosque actus Capitulares, qui à loco absunt, vocari de Jure tribus tantum casibus debeant: & primò, quidem, cum eligendus est Prælati, *c. Quia propter 42. de Elect.* Secundò, cum recipiendus aliquis est in canonicum, aut facienda collatio præbendarum vel beneficiorum, *c. Cum in Ecclesiis 33. pr. de Prob. & dignit.* Tertio, cum indicenda est cessatio à Divinis, *c. Quamvis 8. de Offic. Ordin. in 6.* Quibus Panormit. in *o. 1. n. 13.* addendos imprimis censet casus, quibus memoratis similes aut magis arduæ causæ sunt pertractandæ; propter paritatem rationis, quæ in dispositione Juris, Ecclesiarum utilitatem spectantis ac proinde favorabilis, extensionem facillè permittit, *arg. c. Cum dilecta 4. de Confirmat. utili.* Deinde in *c. Coram 35. de Elect. n. 5.* pro valida habet consuetudinem (& statuta) ad aliquem, *vg. de alienatione tractatum etiam absentes vocari exigentem.*

14. Quamvis autem capitulares, qui de Jure debent, vocati extra casum, quò ipsorum absentia Ecclesiæ damnosa aut presentia valde utilis, aut speciali jure aliud receptum est, ad comparandum compelli nequeant, *arg. c. Quia propter 42. ibi, Qui volunt interesse:* usque sponte absentibus cæteri in negotio procedere possint, *Glossa in c. cit. V. Qui volunt Panormit. ibid. n. 4. & Sylvester V. Electio 1. n. 6.* eorum tamen, qui possunt, vocatio adeo necessaria est; ut, si ad negotium collegialiter tractandum ipsorum aliqui, imò unus duntaxat neglectus non vocaretur, id quod à reliquis in sua absentia gestum est, licet de Jure subsistat,

neglectus tamen, etiam unicus, in irritum revocare solus facillè possit, quam plures presentium, majoris partis consensu & approbatione gestis contradicendò, *per text. c. Quod sicut 28. pr. & c. Bone 36. in fine de Elect. & in c. 1. bic tradita à Panormit. n. 16. & Fagnano n. 6.* Imò, si vocandorum plus quam tertia pars contempta esset ita; ut eorum, qui debent & volunt & interesse commodè possunt, pauciores quam duæ partes convenirent, tractatus eoque decreta ipsò Jure nulla forent; non tam propter non vocatorum contemptum, quam ob defectum potestatis ad aliquid decernendum sufficientis; cum vis & potentia Capitularis in duabus ejusmodi capitularium partibus residet, per ea, quæ cum Panormit. *l. cit. & in c. In causis 30. de Elect. n. 9. & Innocentio in c. Cum nobis 19. eadem Rubr. n. 6.* tradunt cæteri Canonistæ; quia duæ partes curiæ vel capituli illam aut hoc totum repræsentant, *secundum l. Nulli 3. l. Planè 4. ff. Quod cujusque universit. & c. Cum nobis cit.* integram lectionem, à Gonzalez relatam.

Cum iis, quæ de actu à Capitulo, aliquibus (tertià tamen vocandorum parte paucioribus (non vocatis, gestorum valore dicta sunt, non convenire primò intuitu videri potest statutum Ecclesiæ Cathedralis, singulorum canonicorum juramentis, in sua receptione præstitis confirmatum: quò ad pertractanda saltem graviora Ecclesiæ negotia omnes capitulares, qui in loco presentibus sunt, vocari jubentur, & aliter tractata decretaque pro nullis habentur. Contra quod statutum, cum ex quatuordecim capitularibus in loco presentibus Decanus cum novem aliis (quatuor reliquis non vocatis) grave negotium pertraxisset, non defuere, qui eò tractatu acta decretaque, licet Jure communi spectatò subsistat, *arg. de-*



rent, irrita tamen pronuntiarent ob memoratum Statutum Capitulare.

Mihi tamen Statutum illud antè dictis non adversari: & quamvis aliquorum capitularium exclusio ullâ justâ causâ non niteretur, gesta tamen à decem congregatis, propter quatuor non vocatorum contemptum, licet iste fuisset injuriosus, obnoxia duntaxat rescissioni: non ipsò Jure irritata videbantur. Ratio quâ movebar, erat; quòd Statutum Capitulare & de ejus observatione præstita juramenta interpretationem recipiant à Jure communi, à Capitulo, aliquibus non vocatis, acta & decreta pro invalidis solummodo habente, quando non vocata & contempta est plus quàm tertia pars; propter defectum potestatis Capitularis, capitularium, qui interesse debent & volunt & commodè possunt, duas partes exigentis, per tradita ab Innocentio in *c. Cum nobis cit. n. 9.* Panormit. in *c. Quia propter cit. n. 12.* & supra tradita *Lib. 1. Tit. 6. n. 86.*

Si verò Statutum à capitularium duabus partibus unanimiter acta decretaque propter aliquorum non vocatorum contemptum irritaret, non ejusmodi acta: sed ipsum Statutum invalidum censebam, cum Panormit. *cit. n. 12. V. Nec valeret Sigismundo a Bononia de Elect. dub. 10. n. 3.* Jul. Labor. *Tom. 1. Lucubr. Tit. 17. n. 14.* Barbosa *Juris Eccles. lib. 1. cap. 19. n. 112.* & Passerino *de Elect. cap. 11. n. 15.* Rotæ decif. pro se allegantibus. Ratio est; quòd Juri communi Ecclesiastico contraria statuta condere Episcopus cum capitulo non possit, *can. Institutionis 25. q. 2. c. Quod super 9. de Major. & Obed. & Clement. Ne Romani 2. de Elect. Felin. in c. Quod super cit. n. 20.* Alberic. *de Statut. p. 1. q. 7.* Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 26. n. 7. & 10.* dictum autem Capitulare Statutum contrarium sit

Juri Ecclesiæ communi, ejusmodi acta & decreta, imò ipsam Prælatorum electionem, sicut ad contemptorum instantiam permittenti rescindi, sic habenti pro validis, eaque ratificandi potestatem tribuenti contemptis: quibus à Jure illo concessa potestas ejusmodi statuto Capitulari adimeretur.

Porro, ut ad actum aliquem, vg. ad 17. rei Ecclesiæ immobilis alienationem à sacris Canonibus requisitus capituli consensus legitimus sit, necessarium non est, ut in eum capitulares, qui debent & volunt & interesse commodè possunt, omnes conspirent: sed sufficit, quòd suffragiis suis eam approbet major & sanior eorum pars. *c. 1. ibi, Ut semper prevaleat & suum consequatur effectum id, quod à majori & saniori parte capituli fuerit constitutum. & l. Quod major pars Curia effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint, 19. ff. ad Municipal.* cum enim fere impossibile sit, in negotiis præsertim dubiis, semper omnes consentire, imò hoc de raro contingentibus sit; ac proinde necessario sufficiat pars aliqua, meritò major & sanior attenditur, & quòd ista fecit, totum collegium fecisse censetur: quòd in promulgatione sententiarum & statutorum, in electione Prælatorum & canonicorum, in remissione facienda debitoribus, & regulariter in omni alia dispositione observari, notant Goffredus in *Rubric. & in c. 1. cit. Panormit. n. 1. & 16.* Barbosa *n. 1.* & Fagnanus *n. 5.*

Dixi, *Regulariter*; quia excipiuntur 18. Primò casus, quò totum capitulo competentis potestatis eligendi Prælaturam in unum vel plures translatio fit per Compromissum, vel clericorum extraneorum ad suffragium in electione ferendum admissio decernitur; cum enim hujusmodi admissione singulorum capitularium suffragia minus efficacia evadant, & Compromissio

missio suffragium omnino adimatur, ad ea decernenda exigitur consensus omnium, potiorque est conditio minoris partis, imò unius se opponentis, juxta Reg. *Quod omnes 29. & Reg. In re communi 50. in 6.* Secundo, electio Papæ, ad quam Cardinalium eligentium duæ partes tertiæ requiruntur: & si in unam personam concurrant, electio impugnari, eive exceptio aliqua opponi non permittitur, c. *Licet vitanda 6. de Elect.* ex speciali ratione; quòd in dubiis super ea motis ad superiorem non sit recursus, Fagnanus latè in c. *19. cit. à n. 11. & 23.* Tertiò, assumptio Coadjutoris Episcopi amentis, quæ totius Capituli vel duarum ejus partium suffragiis est decernenda, c. *Unio. 17. Si verò de Clerico agrot. in 6.* Quartò casus Electionis, concurrentis cum postulatione; quò electio plus quàm tertiæ partis suffragiis celebrata, prævalet postulationi, in quam Capituli major pars conspiravit; Ut proinde ad postulationem canonicam hoc casu duarum partium in eam consensus requiratur, per c. *Scriptum 40. de Elect.* & tradita *Lib. 1. Tit. 5. à n. 28.* Quintò, nisi alicujus collegii recepta consuetudine ad decreta duæ suffragiorum partes exigantur, arg. l. *Nulli 3. ff. Quod cujusque univers.* Gonzalez in c. *1. cit. n. 6.*

20. Major Capituli pars dicitur, quæ numerò personarum excedit, habitò respectu ad totum Capitulum seu collegium, Vallenf. *Lib. 1. Tit. 6. §. 4. n. 3.* ut, cum v.g. ex duodecim capitularibus octo vel septem consentiant, quatuor autem vel quinque dissentiant: non autem habitò respectu ad alias partes in diversa abeuntes; sic enim in tractatu de alienatione prædii, si ex duodecim in ejus venditionem quatuor, in locationem quinque & tres in retentionem consentiant: & in electione, si ex totidem suffragatoribus sex in Titium, quatuor in Cajum & duo

in Sempronium conspirent, Capituli major pars in locationem aut Titii electionem consentire non censetur: quantumvis plures in locationem, & in Titium, quàm in alium actum vel personam conspirarint, c. *Ecclesia 48. de Elect.* & c. *Si cui 26. eadem Rubr. in 6.* quia quinque vel sex non sunt major pars respectu totius Capituli, ex duodecim personis constantis, Panormit. in c. *Ecclesia cit. n. 4. & ibi Barbofa n. 5. & Laiman. n. 1.*

Dubium hoc loco est, an ut Capituli major pars consenserit, sufficiat consensus dimidiò tantum suffragiò major; ut v.g. alienatio vel electio canonica sit, quando in eam ex novem capitularibus quinque consenserunt. Ratio dubitandi est; quia consensus Capitularis expostis suffragiorum majorem partem, c. *1. & 1. Quod major. cit.* sive unum supra medietatem casu autem, quò ex capitularibus novem in alienationem prædii vel Titii electionem suffragia sua contulerunt quinque, suffragium unum supra medietatem non habetur; cum novenarii medietas sint quatuor cum dimidiò; ac proinde casu, quò in alienationem vel electionem suffragia sua contulerunt quinque, in illas non unum, sed dimidium tantum supra medietatem collatum sit.

Verùm hac ratione nihil moti Panormit. in c. *Cumana 50. de Elect.* n. 1. & Ant. de Butrio *ibid.* n. 15. eosque secuti Sigism. à Bononia *de Elect. dub. 36. n. 8.* Passerinus *Tract. similis cap. 19. n. 4.* & Donatus *Tom. 2. Prax. Regular. p. 1. tract. 5. q. 44. n. 8. & tract. 6. q. 16. n. 2.* casu, quò capitularium sive suffragiorum numerus impar est, ad actum Capitularium sufficere, ajunt, consensus partis, dimidià tantum voce majoris. Ratio est; quia, ut actus à Collegio sive universitate gestus reputetur, Jure plus regulariter non exigitur, quàm ut gestus sit consensus

consensu majoris illius partis, *c. 1. cit.* majorem autem partem collegii sive universitatis, constantis ex novem, jam constituunt quinque; ut adeo alienatio vel electio, in quam ex novenis suffragia sua quinque contulerunt, majoris partis consensu celebrata & canonica judicetur; licet suffragiorum quinquarius dimidiò tantum suffragio novenarii medietatem excedat; quòd tali casu medietas suffragii propter suam indivisibilitatem pro uno suffragio habeatur, ut rectè notat Donatus *cit. n. 8.* Confirmatur hæc resolutio generali usu Germaniæ nostræ: à cuius Capitulis gesti actus & electiones ad Ecclesiarum, tam Secularium quam Regularium, prælaturas pro canonicis indubitatè habentur, & à superioribus, ipsaque sede Apostolica confirmantur: licet non rarò suffragiorum numerò dimidiò tantum suffragio majore celebrentur.

Atque hæc propositæ dubitationis Resolutio procedit, etiamsi Ecclesiæ vel Ordinis Religiosi ordinatione vel statuto ad actum Capitularem legitime gestum unum suffragium supra medietatem, vel unò major suffragiorum numerus exigatur; quòd dimidium pro uno computetur. Ratio est; quia, ut *n. 16.* dictum, Ordinationes & Statuta particularia, condita in materia Juris, interpretationem recipiunt à Jure communi, itaque exaudienda sunt; ut ab isto quoad fieri potest, non recedant, *c. Cùm dilectus 8. de Consuetud. c. Ex parte 31. de V. S. 1. Si servi 2. C. de Noxal. alt. Glossa in c. Cùm dilectus cit. V. Juri communi, Panormit. in c. Ex parte cit. n. 2. & Bruneman. in l. cit. n. 10.* atque idcirco, cùm suffragiorum numerus impar est, sicut communi, sic & particulari ejusmodi Statuti Jure suffragii medietas, quæ dimidia Capituli pars exceditur, pro uno suffragio est habenda; ut actus in quem ex novenis

suffragia quinque collata sunt, sicut majoris partis, sic etiam unius supra medietatem consensu gestus censeatur. Pro qua Resolutionis extensione vel potius declaratione facit Statutum sanctissimi Ordinis FF. Prædicatorum, à *cit. Passerino n. 18. & Donato n. 2.* relatum: cuius vi, si *vg.* in Priorem quis extra collegium sive extra numerum eligentium electus est à majori parte ultra medietatem omnium eligentium, ejus electio rata & legitima habetur: si quis verò de numero ipsorum eligentium electus fuerit, ut illius electio sit rata & legitima, in eum duo vota ultra medietatem collata esse oportet: quorum tamen casuum priori, si in electum ultra medietatem dimidium votum collatum sit, electio à majori parte sive unò votò supra medietatem: posteriori verò, si unum & dimidium votum in electionem collatum sit, electio quasi duobus vobis ultra medietatem celebrata, rata & legitima habetur; quòd priori dimidium pro uno: posteriori verò casu unum & dimidium pro duobus votis; ac proinde medietas voti pro uno voto computetur.

Quod si eorum, qui ad actum Capitularem vocari de Jure debent & commode possunt, aliqui contempti seu non vocati essent, ut in personæ electionem vel alienationem majoris partis consensus habeatur, connumerari vocatis & presentibus debent ex contemptu absentes, seu non vocati; ut in ejusmodi actum Capituli pars major consensisse censeatur, si presentium & contemptorum simul sumptorum pars major suffragiis suis illum approbaret; sic enim in collegio, constante Capitularibus duodecim, si ad electionem vel tractatum de alienatione, duobus contemptis, solummodo decem convocati congregentur, ut in aliquam personam *vg.* in Petrum, vel in alienationem

B b

tionem

tionem majoris partis consensus habeatur, non sufficit, quòd ex decem vocatis in eam conspirent sex: sed septem requiruntur; quia, etsi sex respectu decem vocatorum: non tamen respectu vocandorum & capitulum de Jure constituentium, qui erant duodecim, major pars sunt, Innocent. in c. In genesi 55. de de Elect. in fine Panormit. in c. cit. n. 11. & Passerinus de Elect. cap. 11. n. 112. Ratio est; quia ex una, non vocati de Jure pertinent ad Capitulum, & non nisi per injuriam sibi illatam absunt: ex altera verò parte, ex injuria eum, qui hanc passus est, damnum ac præjudicium pati: eum verò, qui eam intulit, commodum reportare, iniquum & exemplò pernitiosum foret; cum ita via aperiretur maximis fraudibus; & ansa præberetur, eos, qui suffragiis suis adversaturi timentur, ab electionibus aliisque actibus Capitularibus excludendi.

23. Limitat hanc de majori parte doctrinam Zypæus in *Analys. ad hanc Rubr. n. 1.* nisi alia sit Consuetudo: quã passim receptum, ait; ut, quod pars major, non solum respectu totius collegii, sed respectu aliarum partium minorum, approbat & decernit, ratum sit & vigorem habeat. Sed hoc, sicut in minoribus collegiis aut negotiis esse aliquibi usitatum & expeditum, inficias non eo, sic in prælatorum electionibus aut majoribus collegiorum Ecclesiasticorum causis passim obtinere, ægrè mihi persuadeo.

24. Sanior autem Capituli pars censetur, quæ dignitate, integritate & Zelo honoris Divini ac publici boni prævalet, Valens. cit. n. 3. & Fagnan. in c. 1. cit. n. 3. ac proinde major simul & Sanior Capituli pars erit, quæ suffragantium, tam auctoritate & integritate, quàm numerò alias excedit.

25. Duo tamen hòc locò probè notanda

sunt. Primum, in dubio partem, quæ major est numerò, censerè etiam saniorè, præsertim si duæ partes Capituli consentiant: nisi partem numerò majorem corruptam, aut aliò sinistro affectu transversum agi, manifestè appareat, vel legitime probetur; quia regulariter præsumitur pro pluralitate, nisi contrarium probetur, ut arg. c. Prudentiam 21. de Offic. deleg. c. 1. cit. docent iidem Panormit. in c. Ecclesia cit. n. 4. & Fagnanus in c. 1. cit. n. 4. Imò in quibusdam Monasteriis aliisque collegiis & congregationibus Regularium, cum suffragia feruntur, solummodo attendi solet ad majorem numerum suffragatorum: & quod hi sentiunt, sicut à majori, sic etiam à saniori ejus parte judicari censetur, propter notam integritatem & zelum, quem nullò pravò affectu corruptum habere præsumuntur, Laiman in c. Ecclesia 57. de Elect. n. 4. Alterum est; quòd, licet minor pars, quando ob gravitatem vitiorum & allata ab his momenta rationum sanior est, impedire valeat decretum majoris: ipsius tamen consensu decreti nihil possit nomine totius Capituli, nisi pars numerò major decernendi seu suffragandi potestate privata esset, Panormit. in c. 1. cit. n. 11. & Pirhing ad hanc Rubr. n. 3.

Dubium hic movetur, an major pars decernere aliquid valeat in præjudicium minoris, cum v.g. agitur de bonis & juribus singulorum canonicorum, Ratio dubitandi est; quòd c. fin. in istius præjudicium ab illa statutum obtineret firmitatem: contra, Quod omnes rangi, ab omnibus approbandum, Regula sit, 29. n. 6. quæ, ne c. fin. cit. decisionem evertat, cum eo concilianda est auxiliò distinctionis inter tres casus.

Primus est, quò decernitur aliquid in bonum collegii seu universitatis, cuius ipsi sunt membra, vel Ecclesia, cuius fructus petuntur.

bus percipiunt, vg. pro ejus fabrica, necessariis sumptibus aliunde omnino deficientibus, reparanda vel conservanda, vel pro erigendo Seminario, Ecclesie idoneos clericos cum tempore subministrato &c. quò casu contra minorem partem contradicentem, ut portio aliqua reddituum singulis detracta ad illud applicetur, à majori Capituli parte decerni posse, decisum *e. cit.* & ratio est partim; quia Ecclesiastici reditus canonicis assignari videntur cum obligatione seu onere à SS. Canonibus adjecto; ut, quando id necessitas exigit, ad reparationem suæ Ecclesie istiusque bonum aliter promovendū concurrant, Panormit. *in c. cit. n. 7.* & Barbosa *n. 2. § 4.* partim verò; quia etiam in statu Politico, vg. in Imperio Romano Imperator cum consensu majoris

partis Principū ac Statuum imponere potest collectas pro subeundis communibus Imperii necessitatibus à singulis Statibus solvendas, Engel *ad hanc Rubr. n. 13.*

Secundus est, quò à majori parte in præjudicium minoris decernitur aliquid ad opus etiam pium, sed extraneum sive ad Ecclesiam vel Capitulum non multum spectans: quò casu pars minor vel etiam unicus ex ista se opponere & decretum impedire potest, singulare suum interesse prætendendò, juxta Regulam *cit. Panorm. in c. cit. n. 4.*

Tertiò, simili modò pars major decernere aliquid non potest in præjudicium minoris contradicentis, de bonis singulorum patrimonialibus vel quasi, sive aliunde quàm Ecclesie intuitu quaesitis, Fagnanus *in c. 1. cit. n. 13.*



## TITULUS XII.

### Vt Ecclesiastica Beneficia sine Diminutione conferantur.

**V**acantium Ecclesiarum & Præbendarum Collationibus ad superiores declaratis, ad præsentem Rubricam addendum aliquid est de Reservacione Fructuum & de Pensionum impositione.

#### ARTICULUS 1.

De Reservacione Fructuum Beneficii vacantis.

#### SUMMARIUM.

1. Beneficium conferri simul nequit clericis duobus.
2. Neque ejus vacantis fructus applicari aliis.
3. Vel ab Episcopo cum Capituli consensu sua.
4. Vel Capitulari mensa reservari.
5. Immemoriali consuetudine aliquando aliud permittente.

**C**um Beneficium propter officium detur, *c. fin. de Rescript. in 6.* ne, reservatis aut diminutis redditibus,

Bb 2

titibus,